

ta, ab eâ in Concilio Florentino iidem Græci minimè recessissent, qui rituum suorum, in quibus ab Ecclesiâ latinâ discordabant, fuerunt tenacissimi, neque indifferenter utrumque Concilium Florentinum & Tridentinum in his verbis: *ego te absolvo*: essentiam formæ Sacramenti pœnitentiae constituisset. Neque S. Th. contrarium asserere presumptuosum & temerarium judicasset opusc. 22. de formâ absolutionis Cap. I. ubi ita: patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit: presumptuosum est ergo, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit: *ego absolvote, quem Dominus absolvere confiteretur*: magis autem verbis Domini colligitur, hanc esse formam debitam absolvendi: *ego te absolvo*. Ad historicas omnino incertas relationes præter authoritatem Concil. Florent. & Trident. utendum est ejusdem S. D. opusc. cit. Cap. 2. verbis: *Nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro: quodcunque solveris &c.* Et opponit Parisiensium Theologorum contrarium sententium, quod formâ deprecativâ non fiat absolutio, doctrinam aliis, qui pro forma deprecativa referuntur, ad cuius imitationem opponitur incertis pro formâ deprecativâ historiis Christi authoritas Joan. 20. dicentis: *quorums remiseritis: non: quorum petieritis remitti &c.*

## DISPUTATIO XXX.

*De remissione peccatorum mortalium.*

**P**RÆCIPUI effectus pœnitentiae numerantur: primus remissio omnium peccatorum mortalium. Secundus remissio venialium. Tertius remissio pœnæ æternæ & temporalis. Quartus reviviscentia meritorum. De primo effectu sit.



DISPUTATIO XXX.  
QUÆSTIO I.

*An ergo quomodo peccata mortalia tollantur per hoc  
Sacramentum?*

**D**ICO. Remissio culpæ est effectus pœnitentia, se-  
cundum quod est virtus, principius tamen,  
secundum quod est Sacramentum. S. Th. hic Q. 86.  
A. 6. O.

Prima Pars probatur: ex Script. Ezech. 18. v. 27.  
*Cum averterit se impius ab impietate sua... ipse ani-  
mam suam vivificabit.* Zach. 1. v. 3. *Convertimini  
ad me... Et convertar ad vos;* sed per actum pœniten-  
tiae fit aversio à peccato & conversio ad Deum; ergo  
per illam anima vivificatur recuperando vitam spiritua-  
lem gratias sanificantis, & Deus se convertit ad pec-  
catorum illum justificando, quod fieri nequit sine re-  
missione peccatorum mortalium.

Si autem queratur: in quo genere causæ actus virtu-  
tis pœnitentia fit causa remissiva peccatorum morta-  
lium?

**R.** In genere causæ materialis dispositivæ con-  
formiter Trident. sess. 6. de justif. Cap. 6. Disponun-  
tur autem ad ipsam justitiam... dum peccatores se esse  
intelligentes... moventur adversus peccata per odium  
aliquid & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam,  
quam ante baptismum agi oportet. Videantur dicta I.2.  
Disput. XXVII. & Disput. XXVIII.

Secunda Pars patet ex dictis de necessitate Sacra-  
menti pœnitentia, quod est à Christo in hunc finem  
institutum, ut in eo & per illud ex opere operato con-  
feratur gratia remissiva peccatorum mortalium post  
Baptismum commissorum primariò, & venialium secun-  
dariò, unde definiri potest: Sacramentum novæ legis  
à Christo institutum ad significandam & cauandam  
gratiam Sacramentalem & ad remittendum peccata post  
Baptismum commissa.

Obj.

*Obj.* Si per actum virtutis pœnitentiae dispositivè & per ipsum Sacramentum ut instrumentum ex opere operato remitterentur peccata mortalia, esset, quia remitti deberent per infusionem gratiæ, ad quam causandam Sacraenta sunt instituta, sed hæc ratio nulla est: quia potest tolli peccatum mortale sine gratiæ infusione.

*R.* Negando mi. Cujus probatio distinguitur, potest tolli peccatum mortale sine infusione gratiæ secundum præsentem Dei legem & ordinariam potentiam N. Et hoc in præsenti sufficit: per absolutam Dei potentiam, transeat. Videantur dicta loc. cit.

## Q U A E S T I O II.

*An sit possibile peccatum naturâ suâ irremissibile?*

**D**ICO. Omne peccatum in hâc vitâ per pœnitentiam veram deleri potest. S. Th. hic Q. 86.  
A. i. O.

Probatur ex Script. Is. 1 v. 18. Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, vetut lana alba erunt. Et Cap. 55. v. 7. Derelinquit impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur eis ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum: vocat quoque Christus omnes indifferenter peccatores ad se sine differentiâ, quantumcunque gravia & multa peccata habeant. Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Dans potestatem remittendi Apostolis sine ullius peccati aut numeri exceptione ad omnia peccata eandem extendit. Unde Concil. Lateran. Cap. firmiter 1. de sum. Trin. Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper reparari potest. Et Triad. sess. 6. de justif. cap. 14. sine exceptione pœnitentibus justificationem tri-

buit juxta promissionem generalem Ezech. 14. v. 21.  
*Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis  
v. 22. Omnia iniquitatum ejus non recordabor, ubi  
nulla sit exceptio ullius peccati.*

*Ratio S. Th. est : si enim aliquod peccatum remitti  
non posset per pœnitentiam, id fieret vel ex defectu di-  
vinæ voluntatis nolentis omnia peccata dimitti, vel ex  
insufficientia pœnitentiæ; sed dici non potest aliquod  
peccatum remitti non posse ex defectu divinæ volunta-  
tis; quia hoc repugnat divinæ misericordiæ: vinceretur  
etiam quodammodo Deus ab homine, si homo vellet  
peccatum deleri, quod Deus delere non vellet; etiam  
nullum est tam grande peccatum, pro quo tollendo  
non sit possibilis sufficiens pœnitentia: quia efficacia  
pœnitentiæ non tantum in ratione Sacramenti sed etiam  
in ratione virtutis fundatur in virtute passionis & meri-  
torum Christi. quæ est infinita, undè 1. Joan. 2. dicitur;  
*ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro no-  
stris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.**

*Obj. 1. Id Proverb. 1. v. 24. Quia vocavi & re-  
nuiisti, extendi manum meam & non fuit, qui aspici-  
ret, v. 28. Tunc invocabunt me & non exaudiam;  
manæ consurgent & non invenient me. Is. 22. v. 14.  
Si dimittatur iniurias hæc vobis, donec moriamini  
Amos. 1. & 2. Ponitur certus numerus, ultrà quem  
peccata non remittuntur. Super tribus sceleribus &c. &  
Super qualior non convertam &c.*

*Ré. Primum textum intelligendum esse de iis, quos  
post hanc vitam tantum & quidem invitatos scelerum pœ-  
nitentebit, in inferno autem sera erit, sed non vera nec sin-  
cera pœnitentia. Secundus textus significat eos, quos  
præscivit Deus sine pœnitentia morituros. Tertius la-  
cus ex prophetiâ Amos non indicat, quod veniam ne-  
gabit Deus verè pœnitenti, si ultrà numerum expres-  
sum peccaverit, sed quod eos, qui peccata peccatis*

CUM-

DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM. 59  
cumulant, nec agunt pœnitentiam, Deus etiam in  
hoc sæculo graviter puniat.

Obj. 2. Exempla Esau & Antiochi, qui licet pœni-  
tentiam egerint, indulgentiam tamen peccatorum nun-  
quam sunt consecuti, de Antiocho dicitur 2 Mach. 9.  
v. 13. Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset  
misericordiam consecuturus; de Esau ad Heb. 12.  
v. 17. legitur: sciole, quoniam & postea cupiens ha-  
reditare benedictionem, reprobatus est: non enim in-  
venit pœnitentia locum, quanquam cum lachrymis in-  
quisisset eam.

Ad 1. Rydet S. Th. in 4. Dist. 20. Q. 1. A. 1. ad 1.  
Dicendum quod veniam consecutus fuisset (Antiochus)  
verè pœnituisse, sed non habuit veram pœnitentiam;  
quia non ex amore justitiae de peccatis commissis dolebat,  
sed timore pœna, quam expectabat, vel dolore pœna,  
quam sustinebat, & hoc etiam multis in fine pœnitenti-  
bus contingit, quia non est facile, ut affectus, quem  
homo toto tempore vita sua inclinavit in aliquid, subito  
ad contrarium retrahatur.

Ad 2. Rydet idem S. D. hic Q. 86. A. 1. ad 1. Di-  
cendum, quod Esau verè non pœnituit, quod patet ex  
hoc, quod dixit: venient dies luctus patris mei & occi-  
dam Jacob fratrem meum.

Obj. 3. Sunt aliqua peccata, quæ in Scripturâ di-  
cuntur irremissibilia ut Matth. 12. v. 32. Quicunque  
dixerit verbum contrâ filium hominis remittetur ei,  
qui autem dixerit contrâ Spiritum sanctum, non remit-  
tur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. 1. Joan. 5.  
v. 16. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget  
quis Heb. 6. v. 26. Impossibile est eos, qui semel  
sunt illuminati... & prolapsi sunt, rursus renovari ad  
pœnitentiam. Heb. 10. v. 26. Voluntariè enim pec-  
catis nobis post acceptam notitiam veritatis, jam  
non relinquunt pro peccatis hostia.

*R. ad 1.* Peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile, non absolutè quidem, Deus enim per suam gratiam efficacem cor blasphemi in Spiritum sanctum emollite potest ad pœnitentiam, sed quod difficulter remittatur: quia taliter peccans respuit media ad pœnitentiam, auxilia nempe divinæ gratiæ, quorum largitio specialiter Spiritui sancto tribuitur.

*Ad 2.* Per peccatum ad mortem intelligitur finalis impenitentia, quæ cum includat instans intrinsecum mortis, adeoque extendatur ad statum alterius vitæ, juxta præsentem Dei ordinationem est irremissibilis, ac proinde pro finaliter impenitente orari non debet, ad testimonia Apostoli in Epist. ad Hebr. Cap. 6. & 10, dicitur: sensum esse, eos, qui post Baptismum peccaverunt, non posse per iteratum Baptismum consequam liberalem culpæ & pœnæ remissionem, qualis conceditur in Baptismo.

### QUÆSTIO III.

*An unum peccatum mortale possit remitti sine alio?*

**DICO:** Impossibile est per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti. S. Th. hic Q. 86. a. 3. O.

*Probatur 1.* Forma, per quam in statu naturæ elevata remittitur peccatum mortale, æquè repugnat unicuius peccato mortali quam alteri: quia forma illa est gratia sanctificans, quæ simpliciter repugnat omni peccato mortali, quæ gratia est unica forma nostræ justificacionis, etiam de potentia Dei absolutâ in statu naturæ elevata ut dictum est. *1. 2.* Disput XXVII. ergo etiam in hoc statu non potest unum peccatum mortale de potentia Dei absolutâ remitti sine alio.

*Confirmatur:* Per gratiam, quâ remittitur peccatum, est quis in Christo sed juxta Apost. Rom. 8.v.1. *Nihil damnationis est ius, qui sunt in Christo Iesu.*

*Pro-*

DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM. 61

*Probatur 2.* Nullum peccatum mortale remittitur, nisi per pœnitentiam, qua quis dolet de peccato propter Deum offensum, atque à peccato avertitur & ad Deum convertitur; atqui pœnitentia hæc opponitur omni peccato mortali, quod est aversio à Deo, amicitiam divinam dissolvens; ergò, vel tollitur omne peccatum mortale per pœnitentiam, vel nullum tollitur.

*Obj. 1.* Unum peccatum mortale potest committi sine aliis, non enim omnia peccata mortalia connexa sunt; ergò etiam potest unum sine aliis remitti.

*R<sub>2</sub>.* Negando consequentiam: quia ut tollatur peccatum mortale, debet tolli aversio à Deo, in quā omnia peccata mortalia conveniunt, ut autem committantur omnia peccata mortalia, deberet esse conversio ad quævis bona particularia, quæ omnium peccatorum objecta sunt; quia ergo actus peccati non tantum aversionem sed etiam conversionem dicit, unum sine alio potest committi, sed non remitti.

*Obj. 2.* Creditor potest debitori unum debitum remittere sine alio, & affectus pluribus injuriis potest unam condonare, non condonatā alterā, ergo à pari.

*R<sub>2</sub>.* Negando consequentiam: quia debitum illud est debitum rei extrinsecæ, non oppositum alteri formæ intrinsecæ, ac proindè sine receptione talis formæ intrinsecæ remitti potest, econtra debitum peccati mortalis opponitur gratiæ & amicitiæ Dei tanquam formæ intrinsecæ, adeoque nonnisi per intrinsecam gratiæ receptionem peccatum deleri potest, quæ receptio cum non minus uni quam alteri debito peccati repugnet, nonnisi omnia debita simul remitti possunt, & sicut est impossibile aërem tenebrosum illuminari sine infusione lucis, ita etiam impossibile est peccatum, quod est privatio gratiæ, sine ejusdem gratiæ infusione deleri.

QUÆ-

## QUÆSTIO IV.

*An maneat reatus pœna sublatio reatu culpa?*

**D**ICO: Quando per gratiam remittitur culpa...  
per consequens simul tollitur reatus pœna æterna,  
potest tamen remanere reatus alicujus pœnae temporalis.  
S. Th. hic Q. 86. a. 4. Q.

1ma Pars est de fide certa, ita enim docet Trid. sess. 6. de justif. cap. 14. ubi probat satisfactionem post Sacramentum pœnitentias esse necessariam, & ad- dit: *Non quidem pro pœnâ æternâ, qua vel Sacramenti voto unâ cum culpâ remittitur, sed pro pœnâ tempora- li, qua, ut sacra litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur.*

Ratio est: quia remisso peccato mortali per infu- sionem gratiæ acceptatur justus in Filium Dei, hære- dem vitæ æternæ secundum Apostolum ad Tim. 3. v. 3. *Ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ;* sed jus vitæ æternæ non compatitur secum reatum pœnae æternæ; ergo jure hæreditatis concessio per gratiam simul remitti debet reatus ge- hennæ.

2da Pars etiam patet ex definitione Trid. sess. 6. de justif. Can. 30. *Si quis post acceperit justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti*  
*& reatum æternæ pœna deleri dixerit, ut nullus rema- neat reatus pœnae temporalis ex solvende vel in hoc sacu- lo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlo- rum aditus patere possit, Anathema sit.* Idem constat ex veritatibus Catholicis de satisfactione Sacramentali. De indulgentiis & purgatorio & exemplis S. scripturæ ut primi parentis Genes. 3. Moysis & Aaronis Num. 20. & Deuteronom. 32. & Davidis 2. Reg. 12. quibus post remissum per pœnitentiam peccatum & consequenter pœnam æternam, pœnae temporalis fuit inflicta.

Ratio

DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM. 63

Ratio petenda est ex divinâ justitiâ , cui convenit illa mutatio pœnæ æternæ in temporalem , tum ad coercenda hominum delicta , ut pulchrè S Aug. tract. 124. in Joan. ante medium : *Productior est pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illâ finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseria, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem nostræ patientia temporaliter hominem detinet pœna, etiam, quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Tūa ad exercendum rigorem justitiæ misericordia temperatum ut Trid. pluribus deducit sess. 14. de pœnitentiâ cap. 8. agit enim Deus nobiscum instar regis justi & Clementis, qui reo mortis ex Clementiâ quidem pœnam capitâ remittit, ex justitiâ tamen eundem alia pœnâ temporali vel pecuniariâ plebit; aliud est in Sacramento Baptismi, quod est spiritualis regeneratio, quâ homo fit nova creatura , ideoque omnes veteris hominis culpæ cum pœnis omnibus ex ordinatione Dei abluuntur remanentibus solis pœnalitatibus hujus mortalitatis vitæ ob peccatum originale per generationem ab Adamo contractum. Dictum est in Conclusione: *potest remanere: quia peccato mortali per pœnitentiam remisso incertum est, quanta pœna temporalis luenda in hac vel alterâ vitâ restet, certum tamen est pœnam illam non semper esse æqualem, sed majorem vel minorem juxta inæqualitatem tum commissorum peccatorum, tum pœnitentiæ intensioris vel remissioris, quæ plurimum conducit ad remissionem pœnæ temporalis, & posset esse tanta, ut per eam tota pœna remitteretur, ut communiter docent Theologi, & constat ex pluribus exemplis, ac etiam expressè supponere videtur Trid. sess. 6. cap. 14. dum dixit: pœnam non totam semper remitti; ergo aliquando remittitur tota. Quomodo autem pœnitentia aliquam temporalem pœnam & ali-*

quæ-

quando totam debeat, incertum est, facilior modus explicandi videtur, quod Deus ob pœnitentiam magis vel minus ferventem attenâ etiam gravitate & multitudine criminum, pœnam æternam remissam mutet in temporalem majorem vel minorem, ita ut sicut contritio Ipœnitentis generaliter disponat ad remittendam culpam & pœnam æternam, ita diversitas dispositionis vel contritionis specialiter disponit ad inæqualem remissionem pœnae temporalis & aliquando totius.

*Obj. 1.* Si remaneat post remissum reatum pœna æternæ aliqua pœna temporalis, ergo omnes miseræ semper erunt pœnae peccatorum, sed consequens non est admittendum, alias vera esset propositio 70. damnata quenelli: *Nunquam Deus afflit innocentes, & afflictiones semper servient ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

*Ré.* Negando sequelam, ob cuius falsitatem justissimè damnata est propositio allegata: possunt enim justi pro pœnis debitibus satisfecisse, quibus proinde Deus non immittit miserias ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem, cum peccatores non sint, sed ad exercitium patientiæ, sicut afflictiones immisæ sunt innocentij Jobo, ad probationem: uti Tobiæ cui Raphael Tob. 12. v. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* ad augmentum virtutis & gloria. Unde sine reatu pœnae ob peccata adhuc luendæ nonnunquam Deus miserias immittit etiam ad ostensionem suæ potestatis, unde Christus Joan. 9. de cæco nato interrogantibus discipulis: *Rabbi quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cacus nasceretur?* respondit: *neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

*Obj. 2.* Justificatus per pœnitentiam est amicus Dei, ergo non est amplius obnoxius pœnae: quia contrâ leges amicitiæ est, amicum punire. Deinde æque in pœnitentia-

## De REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM. 65

p̄tentiā ac in Baptismo remissio fit vi meritorum & passionis Christi, ergo in utroque Sacramento semper tota pœna remittitur. Denique non esset perfecta remissio, si remaneret pœna temporalis.

R. Ad 1. non repugnat amicitiae exigere satisfactio-  
nem justitiae debitam nondum condonatam, talis est  
pœna temporalis remissâ pœnâ æternâ restans.

Ad 2. disparitas est, quod in Baptismo applicentur  
merita Christi renatis ut primò in familiam Christi  
assumptis; in pœnitentiā verò ut semel assumptis sed  
qui post acceptam innocentiam per ingratitudinem re-  
lapsi sunt, unde non tota, sicut in Baptismo, pœna  
remittitur.

Ad 3. perfecta est remissio, inquantum totaliter  
tollitur illud, quod à Deo avertebat.

## DISPUTATIO XXXI.

### *De remissione venialium.*

PER pœnitentiam remitti peccata venialia certum est:  
cum per illam graviora peccata: nempe mortalia re-  
mittantur; sed plures circà venialium remissionem sunt  
difficultates, unde sit.

### QUÆSTIO I.

*An ad remissionem venialium requiratur Sacra-  
mentum pœnitentia vel sufficiente Sacramentalia?*

Suppono I. Quod sicut ex peccato mortali, quod  
est peccatum simpliciter, relinquuntur macula nem-  
pe privatio gratiæ sanctificantis, charitatis ac aliarum  
virtutum, ita ex peccato veniali, quod est Dei offen-  
sa secundum quid, relinquuntur macula, quæ consistit in  
privatione fervoris extensivi charitatis; fervor enim  
charitatis est duplex: aliud *intensivus* aliud *extensivus*;  
intensivus est gradualis perfectio, aut intensio, quæ in-  
venitur in habitu vel actu charitatis; fervor extensivus